



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **BETTIAHENSIS**\* IN INDIA NOVA CONDITUR  
DIOECESIS BETTIAHENSIS Cum ad aeternam provehendam salutem gregis Dominici in India eiusque regimini facilius et efficacius consulendum petitem esset nuper ut in eadem Natione nova constitueretur dioecesis, Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules, qui Congregationi pro Gentium Evangelizatione sunt praepositi, re mature perpensa auditoque pariter faventi voto eorum quorum interest, ad motam postulationem censuerunt esse accipiendam. Nos igitur, qui gravissimo fungimur munere supremi Pastoris universae catholicae Ecclesiae, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate haec decernimus. A Muzaffarpurensi dioecesi separamus territorium occidentale districtuum civilium, qui nuncupantur West Champaran, East Champaran, Gopalganj, Saran et Siwan; ex iisque novam condimus dioecesim *Bettiahensem*, quam metropolitanae Ecclesiae Ranchiensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea iubemus Episcopi sedem poni in urbe Bettiah atque templum ibidem exstans, Deo in honorem Nativitatis Beatae Mariae Dominae Nostrae dicatum, ad dignitatem cathedralis Ecclesiae evehimus: cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perducet ad exitum Venerabilis Frater Georgius Zur, Archiepiscopus titulo Sestensis et in India Apostolicus Pronuntius; qui, re acta, curabit documenta exaranda sincerisque exemplis ad Congregationem, quam diximus, mittenda. Has denique Apostolicas sub plumbo Litteras nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesimo septimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo octavo, Pontificatus Nostri vicesimo.*

ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status*

IOSEPHUS card. TOMKO

*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

Tharsicius Nardi, *Protonot. Apost.*

---

s.n.

\*A.A.S., vol. XC (1998), n. 11, pp. 828-829 © Copyright 1998 - Libreria Editrice Vaticana